

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

**Reding, Augustin**

**Monasterii Einsidlensis, 1669**

Dissertatio XVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

## DISSERTATIO XVIII.

*An Heideggerus ratione Theologica,  
vel etiam Philosophicâ solidè refutet Missa in  
Einsidlensi Divinitus consecrato à Chri-  
sto Domino peractam cele-  
brationem?*

I. **H**eideggerus *cit. S. 19.* sic instat. Si  
veræ sunt adversariorum hypo-  
theses, is, qui Missam celebrat, panis,  
& vini substantiam convertit in sub-  
stantiam Corporis & Sanguinis Christi,  
& Eucharistiam consumit. Ejus enim  
consumptionem esse partem Missæ es-  
sentialem Bellarminus, alijque asserunt.  
Quomodo igitur Christus in Sacello  
Eremitano Missam celebrans, panis &  
vini substantiam in Corporis & Sanguis-  
nis sui substantiam convertit?

II. Quòd Missam celebrans panis &  
vini substantiam convertat in Corpo-  
ris & Sanguinis Christi substantiam,  
non est hypothesis, sed absoluta per  
Christum Ecclesiæ suæ Orthodoxæ tra-  
dita

dita veritas. Etenim Christus *Luca 22.*  
*Joan. 6. 1. Corinth. 11.* verè dixit, esse  
 Corpus suum & sanguinem, quòd sub  
 speciebus panis & vini in ultimâ cœnâ  
 offerebat. Hoc autem Apostolis, eo-  
 rumque successoribus Sacerdotibus di-  
 xit, ut facerent in suam commemora-  
 tionem. Ergo isti peragendo tale my-  
 sterium cum veritate infallibili dicunt,  
 esse Corpus & Sanguinem Christi, quod  
 sub speciebus panis & vini offerunt in  
 Missâ. At pronomina *Hoc*, & *Hic*, in  
 verbis Eucharistiæ consecratorijs sunt  
*demonstrativè* significantia individua  
 substantiam, quâ contentam sub præ-  
 sentibus panis & vini speciebus. At ve-  
 ritas illorum Christi verborum non ad-  
 mittit aliam substantiam, nisi Corporis  
 & Sanguinis Christi, atque aded oportet,  
 panis & vini substantiam desinere  
 esse sub illis speciebus, & succedere  
 Corporis & Sanguinis Christi substan-  
 tiam, fierique proinde panis & vini sub-  
 stantiæ conversionem in substantiam

Corporis & Sanguinis Christi. Vides igitur Heideggere, nō ex strophis sophisticis, uti falsò calumniaris, procedi, neq; lunam pro sole, & mortē pro die vendi, sed ex ipsâmet Christi Domini verborū veritate evinci, quòd Christus in Sacramenti Eucharistiæ institutione effecerit, imò in quotidiano adhuc Missæ Sacrificio tanquam principalis offerens efficiat panis in Corpus, & Vini in sanguinem suum conversionē. Illa ergo difficultas non est peculiaris mysterio intra Einsidense Sacellum peractò. Verum continere me non possum, quin hīc moneam, in reformatorū Doctorū *Pref. in Consens.* uti ajunt, *orthod. de contr. Sacram. §. ut vero, haberi*, quòd nemo facillè dixerit, quàm multum à Lutheranis assertus consubstantiationis error, utpote Christi verbis alienior, & absurdior, transubstantiatione præstet. Et tamen Ecclesiæ Tigurinae ministri, speciatim Hottinger<sup>9</sup> in sua ult. *dissert. synod. novissimè* contenderunt, illam Lutheranorū consubstantiationē esse

esse habendam pro adiaphorâ , atque a deo ceu indifferentem, cujusque ad credendum licentiæ exponendam. Si proinde, Heideggere, nulla Tigurina Ecclesiæ difficultas est circa illam Lutheranorum consubstantiationem, cur a deo difficilem te præbes circa Catholicorum transubstantiationem?

III. Sed urget Tigurinus ille Professor, Christum, inquit, in primâ Cœnâ panem edisse, & bibisse Sanguinis sui substantiam, monstrosa est, non in scholâ cœlesti & veritatis, sed falsitatis nota assertio. *Necessum enim est, uti probè monet Cyrillus Alexand. de Trinit. Dial. 5. id, quod in participatione alicujus esse creditur, alterius esse ab ipso natura, ne ipsum sui ipsius dicatur, & videatur esse particeps, Nihil enim planè sui particeps est.* Non potuit igitur etiam Christus sui esse particeps.

IV. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. Dialog. de Trinit. paulò ante medium. ex præallegatâ ratione infert tanquàm hæreticum, quòd, si Filius Dei esset vitæ par-

H 3                      ticeps

ticeps, & non secundum naturam vitam existeret, oporteret, Divinam ejus naturam aliam esse à vitâ & naturâ Patris. Sed hoc, quæso, quid facit ad rem præsentem? Inquiet Heideggerus: manducatio cibi est ejus quædam participatio. At nihil potest sui esse particeps. Ergo repugnat, aliquem manducare se ipsum. Verum Heideggere utique nostri ex Philosophiâ, esse distinguendum inter participationem identitatis, vel informationis substantialis, & motus tantum accidentarij. Ex ipsis autem terminis implicat, aliquid esse sui particeps secundum identitatem, vel etiam secundum informationem substantialem. Attamen quoad motus accidentarios eatenus potest aliquid esse sui ipsius particeps, ut anima agat in se ipsam secundum motus vitales. Cùm non igitur secundum illum statum, quem Corpus Christi habet sub speciebus Eucharisticis, eatenus posset manducari, & participari à Christo, ut non transiret.

ret in ejus substantiam, sed speciebus Eucharisticis resolutis, sub illis desineret esse Corpus Christi, inciperetque sub quantitate Eucharisticâ introduci novâ materia per aliam formam substantialem informanda.

V. Verùm pressius se agere credit Heideggerus, sic arguendo. Si Christus se ipsum comedit, idem igitur fuit cibus, & cibo utens, agens & patiens, comedens & comestum, causâ & causatum: & quid non? Talia qui asserere non verecundantur, non illi rationibus, sed plus quàm uno jugere heli lebori curandi sunt.

VI. O insignem Philosophum! Nunquid Heideggere Anima Christi à corpore resoluta, propriâ suâ virtute descendit ad inferos? Nunquid anima in eo, qui habuit potestatem ponendi animam, & iterum sumendi eam, propriâ virtute se reunivit Corpori, & ita resurrexit tertiâ die? Nunquid Humanitas Christi propriâ virtute ascendit

in cœlum, & redibit eâdem virtute ad  
judicandum vivos & mortuos? An-  
nè igitur idem agens & patiens, idem cau-  
sa & causatum? Et quid non? Respon-  
de ad ista, & tunc ubi te probabis Philo-  
sophum, vel etiam Theologum, agam  
tecum ex solidis Philosophiæ principijs.

DISSERTATIO XIX.

*Utrum Divina Sacelli Einsidensis con-  
secrationis approbatio Pontificia conci-  
liet aliquam auctoritatem?*

I. **H**eideggerus §. 20. ingenti fa-  
ctu sic procedit. Poteramus ar-  
gumentorum plurium aggestu preme-  
re absurditatem fabulæ; sed victi ra-  
dio, & ex fabuloso hoc pelago elucta-  
ri gestientes, properamus ad argumen-  
ta, quæ suffulciendæ approbationi af-  
ferri solent. Sunt autem ea duo potissi-  
mum, approbatio nimirum Papæ, &  
miracula in fano Eremitano inde à lon-  
go tempore patrata. At prius quod at-  
tinet, ostentant Bullam Leonis VIII. de-  
cimo